

WS 1726

B. C. D.

ALMÆ LVDOVICIANÆ  
**RECTOR**  
IOH. BARTHOLOMÆUS  
RÜDIGER,

SS. THEOL. DOCT. ET PROFESSOR ORDINARIUS,  
VNA CVM VNIVERSO.

SENATV ACADEMICO  
LECTIONES AVTVMNALES  
SINGVLORVM

PER OMNES FACULTATES PROFESSORVM

GENERE VIRTUTIE AC DOCIRINA  
PLORENTISSIMIS.

ACADEMIÆ NOSTRÆ STUDIOYSIS  
INDICE HOC PVBLICO  
RITE MERITOQUE  
EXHIBET ATQVE  
COMMENDAT

SVB SIGILLO ACAD. MAIORI

ANNO MDCCXXVI. DIE XV. SEPTEMB.

GIESSÆ,

TYPIS VID. IOH. REINH. VULPII, ACAD. TYPOGRA.

# IN FACULTATE THEOLOG.

## JOANNES CHRISTOPH. BIELENFELD,

Theologus Primarius.

**A**bsolutâ nunc primâ parte Epistolæ ad Galatas, secundam eâdem methodo Exegetico-porismatico-homileticâ, lôcô *Lectionum publicarum*, pertractabit.

In privatis cursum Theologiæ Moralis continuabit, nec non iis Theologiæ Cultoribus, qui, jacto Theseos fundamento, altiora in fidei Mysteriis scrutari, & concinnâ brevitate Sacrum ordinem in credendis & agendis luculenter perspicere cupiunt, ingeniosissimi Theologî B. Dannhaueri Hodosophiam explanabit, simulque per disputaciones interpositas omnia sub examen vocabit.

**JOH. BARTHOLOMÆUS RÜDIGER,**

*SS. Theol. Doct. & Prof. Ordin. Conf. Princip. Adj. &c.  
& regionis Marpурgo-Darmst. Superint.*

**A** conversione hominis peccatoris ad DEVUM, eoque spectantibus actibus ac Mediis, ad reliqua quæ supersunt istius momenti capita privatis lectionibus progredietur, & divina adjutus ope absolvet; Publicas horas fascibus Rectoribus solutus, consimili cuidam argumento ponderoso, ad subveniendum privatis, impensurus.

**JOH. GOTTOFREDUS SCHUPART,**

*SS. Theol. P. P. O. Confessorii Princip. Adjessor & Diacon.  
Alsfeld. Superintendens.*

**D**Ublice ad ultima Prophetiarum JESAIÆ exponenda perget. Privatis lectionibus porro in Epistolam ad EBRÆOS commentabitur non modo, sed &c, duabus quotidie horis, Theologiæ dogmaticam explanabit; addet hisce, ubi vota DNN. Commilitonum ita ferent, Collegium Fœderale, quo Oeconomiam salutis per fœdera à Deo cum humano genere inita, iuxta ductum scripturarum, perspicue, & quantum fieri potest, breviter tradet.

## JOH. GEORG. LIEBKNECHT,

SS. Theol. D. ejusdemque Prof. P. Ordin.

**P**ublice Disputationes hebdomadales, nec non exercitium homileticum vna cum exegeticis regulis, quas priuatim hac usque exposuit, continuabit. Libet insuper ex nonnullorum desiderio B. BAIERI compendium Theologiae positivae expōnere, nec non certis horis Concilii Tridentini admodum famosi, rationem exponere, ut aliquando Nobisissimi Dn. Committones aduersariorum imperus excipere tutius & curatius valeant.

## IN FACULTATE IURIDICA.

### JO. GODOFREDUS HARTVNGIVS, D.

Confiliarius Hasso-Darmst. & Iur. Prof. Ordin.

**A**nte omnia Lectiones *Publicas* Pandectales ad Compendium Lauterbachianum ea ratione, eoque studio, quo haecenū tractatae, continuabit, & si fieri potuerit, ad finem perducet. Tum vero alia non negliget, nec solum desiderantibus *privatum* novum Collegium Pandectarum ad Lauterbachium aut aliud non deerit, sed in primis Collegium Feudale ad Jurisprud. suam Feud. in artem redactam meditatur, exquisitori quodam studio pertractandum.

### IO. DANIEL GRVBER, D.

**P**ublice commentabitur ad tabulas pacis Westphalicæ hora XI. *Primitus* examen Institutionum Iustinianearum, prælectionesque ad prodrorum iuris publici, quibus, non inuito nobiliorum diligentiorumque auditorum cœtu, per ipsas ferias nundinales vacat, hora VIII. & IX. breui tempore ad umbilicum perducet: quo facto, ad prælectiones iuris publici & Canonicæ, duce Hornio et Coruino, conuertetur iisdem horis. Porro in gratiam eorum, qui examen Institutionum subierunt, consentientibus veteranis, opus pandectarum, duce ill. Boehmero, ab ouo ordinatur, tractabitque summo studio summaque perspicuitate horis x. & XI. absoluendum haud dubie hoc semestri hiberno, cuius longiores sunt numeri. Denique selectis ingenijis, quæ ad solidam iuris publici pruden-

tiam pedetentim sibi comparandam adspirant, prima huius disciplinæ funda-  
menta fideliter atque ingenue proponet ex *historia S. R. Imperii*, quam-  
duce Schmaussio ; cuius nævū nonnulli inter prælegendam facili opera  
emendantur, a primis incunabulis per medium æcum deducet usque ad  
Maximilianum I. hora III. scholarum recens aperiendarum exordia eval-  
uis publicis propediem indicaturus.

## JO. FRIDERICUS KAYSER,

J. V. D. & P. P. Ord.

**P**ublicis Lectionibus in explicando *Examine juris feudallis Strykiano*  
qua potest dexteritate & diligentia continuabit. Privatim vero ad  
Institutiones Imperatorias commentabitur, cetera pro desiderio Dn.  
Dn. Commilitonum operam qualemque suam atque industriam ac-  
commodaturus.

## JO. FRIDERICVS BAHLI

P. P. Ord.

**P**ublice Schilteri Institutiones juris Canonici explanabit. Privatim  
Collegia Pandectarum & Institutionum ad finem perducet : novum  
quoque collegium ad Pandectaras & alia, pro desiderio dominorum stu-  
diosorum, aperiet.

## GEORGIVS LUDOVICVS LEVTNER

PROFESSOR JUR. EXTRAORD. & FACULT.

JURIS ASSESSOR.

**P**ublicis Lectionibus B. Cancell. Hertii Ichnographiam Institut. Justin.  
explicabit. Privatim Collegium Jur. Nat. & Gent. ad ductum Institut.  
I. N. & G. a D. Vitriario dilucide non minus, ac solide editarum denuo  
auspicabitur, & postquam quatuor diebus Auctoris adserita rationibus ad-  
struxit, vel evidentioribus destruxit, omniaque pertractata negotia ad illu-  
stres applicuit controversias, per disputationes hebdomadales privato-  
publicas selectas theses more solito disquisitioni subiicit. Lectiones  
Pandectarum ad Ill. Boekmeri Introductionem in Jus Digestorum ape-  
riet, eoque præcipue ingenii sui netuos intender, ut Justinianum Legis-  
latorem probe distinguat a vero Doctore, vel Historico. De novo etiam  
Collegium Institutionale inchoabit, nec in aliis legitimæ scientiæ parti-  
bus

bus Jure Publico scilicet ad Henr. a Cocceji Juris Publ. Prudentiam ac Jure Feudali Dnis Commilitonibus deerit. Insuper ad Dissertationes de selectioribus materiis defendendas Dnos Commilit. officiosissime invitatur.

## IN FACULTATE MEDICA.

**JOH. CHRISTOPH. HERTIUS, Med. D.**

hujusque Prof. & Archiater Hasso-Darmst. Primar.

**U**bi otium aulicum ipsi permittet versari in Academia, non deerit, si quacunque ratione Philiatricorum conatus promovere poterit.

**D. MICH. BERNHARDVS VALENTINI,**

*Archiat. & Prof. Med. Ord.*

**P**ublicè Medicinam Nov-antiquam explicabit: privatim autem collegium paniatricum incipiet, secuturus ductum tabula Ichnographicæ Stadii Studiique Medici, Aurifodiniæ Medicæ præfixæ.

**D. JOH. CASIMIR. HERTIUS,**

*P. P. O.*

**P**ublicè non temporis modo favente ratione, sed munere quoque suo ita exigente Sectionibus denuo ac anatomicis demonstrationibus vacabit. Privatum vero id quoque ager, ut in aliis Dn. Dn. Commilitonum captui se accommodet eorundemque desideriis satisficiat.

**IO. MELCHIOR VERDRIES, D.**

*Medicin. P. P. O.*

**Q**ua publice, qua privatim ad desideria & captum Nobiliss. DN. DN. Commilitonum se accommodabit, nec ulla in parte operam ac diligentiam suam desiderari patietur.

**CHRISTOPH. BERNH. VALENTINI,**

*Serenissimi Principis HENRICI, Hassiae Landgravii, reliq.  
diversorumque S. R. I. Comitum Archiater ac extra  
ordinem Professor Medicus*

**E**x speciali gratia Serenissimi Acad. Nutricii in aulicis medicinam faciens Nobilissimorum Dnn. Philiatricorum studia cōmēcio (quod illis offert) literario promotebit, donec Academiae patriæ restitutus viya simul manuductione illis inservire valeat.

IN

# IN FACULT. PHILOSOPHICA.

MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,

*Prof. Philos. Experim.*

PUBLICÈ Cartesii Tr. de homine perstringet ; privatim se ad vota Dnn.  
Auditorum accommodaturus.

D. IOH. GEORG. LIEBKNECHT,

Mathematum Prof. P. Ordin.

LECTIONES Mathematicas, tam publicas, quam privatas, nuperius indicatas, continuabit, & loco Geographiae, quam absoluimus, Opticam, & doctrinam Sphæricam resumeret, nec iis deerit, qui Algebraam speciatim, aut reliquarum scientiarum principia desiderabunt.

IO. HENR. MAIVS,

Antiquitatum, Graecaeque & orientalium linguarum  
Professor.

PRAELECTIONIBUS publicis epistolam ad Ebraeos exacatam obseruationibus variis collustrare perget ; priuata autem opera, praeter ea, quae auditores forsitan desiderabunt, rem numariain vniuersam, antiquam & recentem, exponet.

D. IO. MELCHIOR VERDRIES,

*Physic. P. P. O.*

PUBLICÈ Dissertationibus Nob, DN. DN. Commilitones exercitationes reddere annitetur. Privatim Introductionem ad Physic. recentior. denuo exponet & illustrabit.

D. JOH. CONRADVS ARNOLDI,

Log. & Metaphys. Prof. P. Ord.

PUBLICÈ ideam boni disputatoris, adversus malitiosum sophistam, in primis Theologiae Polémicae Studiosis necessariam, per theoriam & praxin,

praxin, delineabit. Privatim, exoptandis Auditorum commodis, fidem quoque atque industriam suam locabit; cumque plures hodie nostrorum currere, quam lente festinate, atque præcipiti saltu, vix salutato primorum rudimentorum limine, ad superiores Facultates properare malint, quam per gradus ascendere: cursum quoque per disciplinas Instrumentales philosophicum, istorum in gratiam, instituet, reique literariorum Studiosos, tūm privata, tūm publica opera, in Museo Bibliothecæ Academicæ, statis horis aperiendo, promte juvabit.

## SEBASTIANUS MASSON, P.

PUBLICE quo minus oblatum circa illustiores iuris vniuersalis materias disputandi exercitium omni diligentia ac feroce porro continuetur per se haudquaquam staturum profiteretur; quin, prout rerum fuerit facies, in explicando incomparabilis Grotii de iure belli & pacis opere vires deinde experietur. Priuatim collegium ad Pufendorfii compendium de officio hominis & civis, porrectum iam ad libr. I. caput XVtum: item ad Buddei doctrinam moralem, cuius residuum vnicum adhuc caput, nempe pars therapeutica, est; quandoquidem per angustias temporis absoluere hactenus non licuit, praeter priuatissimos quos obit cum in ciuili prudentia, tūm in aliis labores, debita sedulitate vrgebit, moxque perducere ad finem sataget. Quemadmodum etiam nec nouis qui a se in ea quam agit statione, expetiri fuserint congressibus se volens subtrahet: sed paratissimam potius pro more singulis B.C.D. operam praestabit.

## CHRIST. FRIDER. AYRMANNVS,

Histor. P. P.

REPETITIS superiori semestri promissis, perget sedulo historiarum solidâ fundamenta discendi cupidis inculcare, ope historiæ uniuersalis, cuius Epitomen nouam, prælectionibus suis accommodaram, euulgare constituit. Simili ratione & instituto in historia Germanica uersabitur. Historiam Hassiacam quoque siue publice, siue priuatim tradet, ad ducentum Compendii, quod nuper publici juris fecit Dom. Hartmannus Prof. Marpurgensis, eandemque historiam, ad excessum Philippi Magni perductam, ex actis publicis illustrabit, atque ad nostra producet tempora,

pora, quam primum idoneis huic negotio, sibi a Serenissimo Nutrio clementissime commisso, praesidiis & adminiculis, undique labore multo contrahendis, instructus erit. Offert quoque omnibus & singulis Collegia suo tempore & ordine aperienda, Chronologicum, Genealogicum, Geographicum, Heraldicum, Rei numariæ, antiquariæ, diplomaticæ, historiæ Ecclesiasticae & literariæ, ne quis illorum defectum in hac Academia falso allegare & queri possit.

## JOHANNES RHENIUS,

Eloquentiae & Poëseos P. P. O.

**I**N publicis prælectionibus duobus per hebdomadem diebus partitiones Vossii oratorias, duobus selectiores ovidii elegias enucleare perget. Privatim humaniorum literarum studiorum desideriis satisfaciet.

## CHRISTOPH. LVDOVICVS RÜDIGER,

Prof. Phil. Extraord. & Symmysta.

**Q**Uod coepit in artis heraldicæ, stili, Geometriæ, & iuris naturæ præceptis tradere, id ut quam proxime ad exodium ducat, etiamnum est distentissimus. Ne vero ingenuarum atrium alumni, dedecore in coniectu & consuetudine ciuili impingant, quo pacto modoque, omnem vultum, habitum & gestum corporis, quin orationem ipsam, ad elegantiae nec non condecoriae rationem componere debeant, Collegio Decori, monstrabit, sicut eorum quoque, qui noua hænie denudo Philosophicas scientias, chrysim secum transire gestiunt, desideriis annuet.

